



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 45. Alexander Riarius Cardinalis mortuus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

to Tolosanum Archiepiscopatum obtinuit: demum a Cardinale Borbonio, qui Avenionensis Legatus nominabatur, rogatus, ut hujus legationis curas partiretur, munus hoc in se suscepit, ac reliquos vitæ suæ dies, cum hujus regionis aerem suæ valetudini propitium experiretur, in hac urbe transigere statuit, sua benevolentia hujus populi animos mire devincens, hacque ratione hunc Comitatum Sedi Apostolicæ illæsum conservans inter medios bellorum civilium tumultus, quibus omnes circum circa vicinæ Provinciæ foede devastabantur: denique anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo septimo, mortuo Feliciano Capitone, Avenionensi Ecclesiæ Episcopus præfuit, ibidemque Cœnobium Fratrum Minorum erexit, ac Cœlestinorum Abbatiam auxit, necnon Pœnitentes sancti Georgii, uti vocantur, dotavit, ubi etiam die vigesima prima Julii anno ætatis suæ octogesimo quarto supremum vitæ suæ diem clausit, ejusque Cadaver in Ecclesia Cathedrali, ubi vivens sibi monumentum poni curabat, sepultum est.

Sæcul. XVI.
A.C. 1585.

Elog. Card.
Albi p. 329

§. XLV.

Alexander Riarius Cardinalis mortuus.

Y 3

Paulo

Sæcul. XVI.
A.C. 585.

Ciac. tom. 4.

p. 54.

*Joan Pa-
scal. de ci-
vit Bon.*

Aubery l. c.

Paulo ante numero quintus decessit Alexander Riarius patria Bonnoni-
ensis Anno a partu Virginis milleli-
mo quingentesimo quadragesimo ter-
tio mense Decembri natus, qui studio-
rum curriculum Patavii cum eximio
profectu emensus Bononiæ in patria sua
Doctoratus honore auctus a suis amicis
Romam accersebatur, ubi a Pio IV. Pa-
pa Referentiarius Apostolicus primo,
& mox Cameræ Apostolicæ generalis
Auditor renuntiatus, atque a Pio V.
Alexandrinus Patriarcha electus est, in-
super Alexandrinum Cardinalem in
Hispaniam, Lusitaniam, & Galliam
ad sacrum foedus stabiliendum comita-
batur: dein vero in Italiam reversus
una cum Carolo Cardinale Crasso,
aliisque Prælatiis, qui officia Romanæ
Curie reformarent, deputatus, a Gre-
gorio XIII. inter Presbyteros Cardina-
les titulo S. Mariæ in Ara cœli coopta-
tus est, paulo post vero ad Philippum II.
Hispaniæ Regem, ut de rebus ad re-
gnum Lusitanie spectantibus ageret,
Legatus Pontificis desiderio abunde sa-
tisfecit, & Philippum Hispaniæ Regem
Lusitanie corona ornavit: porro ad
Urbem reversus, Perusina, & Umbriæ
legatione honorabatur, ac Signaturæ
justitiæ Præfettus ad exules coercen-
dos nominabatur: præterea interfuit
Comitiis,

Comitiis, quibus Sixtus V. Pontifex Sæcul. XVI.
A.C. 1585.
 Maximus renuntiatus est, sub quo etiam anno primo Pontificatus, & nostræ salutis millesimo quingentesimo octogesimo quinto die decima octava Julii obiit, annum agens quadragesimum secundum, cujus corpus in Basilica SS. duodecim Apostolorum ante Aram maximam sepulcro, quod olim ante acceptam purpuram sibi paraverat, reconditum quiescit.

Hic idem Lauretanam Domum amplissimis redditibus dotabat.

§. XLVI.

Sirleti Cardinalis fatum.

Sextus erat Guilielmus Sirletus Anno salutis millesimo quingentesimo decimo quarto Stili Calabriæ oppido ex nobilibus, ac virtutum splendore claris, tenuis tamen fortunæ Parentibus natus. Hic in sua patria, ac Neapoli primum Græcis, Latinisque literis operam dedit, & in illis excellens ipsos Magistros longe superavit, quibus Mathematicas disciplinas junxit, & Philosophiæ, ac Theologiæ dogmata ex ipsis Græcorum Scriptorum fontibus tam avide hausit, ut in omni scientiarum genere perfectus evaserit, qua sola suppellectili instructus, auro, ac vestimentis destitutus, unico sacrorum

Ciac. p. 974.
Albi l. c.
Attichy hist.
Card. t. 3.
p. 486.
Thu. l. c.
Spond. hoc
ann. n. 33

Y 4

Biblio-